



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita B. Francisci Salesii, Episcopi Et Principis Gebennensivm Meritissimi

Maupas du Tour, Henri Chauchon de

Coloniæ Ubiorum, 1663

Spiritûs interioris Monialium Visitationis B. Mariæ Synopsis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42882



SPIRITVS INTERIORIS
 Monialium Visitationis Beatæ
 MARIÆ, ab Institute
 Ordinis ejusdem,
 B. FRANCISCO SALESIO,
 Gebennensi Episcopo
 explicati,

Synopsis.

Quandoquidem in Vitâ Franciscæ Fre-
 miottæ copiosè persecuti sumus quæ ad
 Institutum Ordinis Visitationis B. MA-
 RIÆ pertinent; hîc attingemus tantum
 per epitomen, modum & rationem Spiri-
 tûs interioris, quem in eodem Ordine con-
 stabilitum esse voluit Franciscus Salesius.

C A P U T I.

*De spiritu interiori Monialium Visitationis,
 in Cruce Domini fundato.*

EXigua Congregatio Monialium Visitationis,
 inquit B. Franciscus Salesius, velut sacer qui-
 dam fons est, ex quo animæ plurimæ salutis
 aquam

aquam hausturae sint: tum interiora, tum exteriora uniuersa eidem Deo sacra sunt. tota Monialium eiusdem Ordinis vita spiritualis est; earum siquidem occupationes omnes, pro orationibus precationibusque haberi possint: quandoquidem horae diurnae nocturnaeque, vel ex quo somno, atque relaxationi animorum quotidianae tribuuntur, dicantur eius Numini. Fructus ii sunt caritatis: eque gloriae quae in Deum redundat ex secessu tot Virginum, ad sanctae dilectionis amplificationem congregatarum, au-gescente in dies, existit cumulus quidam opum spiritualium immensus, & thesauri gratiarum propè infiniti.

Ex nimirum sunt holocausta quaedam viva ac spirantia, victimae summi pretii, sacrificii perpetui illius, quod Deo in Calvariae Altari offerunt, sine intermissione JESU Christo famulaturae, quem unum pro Sponso agnoscunt & venerantur. Ita in communionem veniunt spiritus Crucis, sensusque induunt sacrosancti ipsius Martyrii, unde discunt se ipsas in momenta Crucis affigere. Abdicant motiones omnes cordis, praeter eas quae ad diligendum ipsum incitant: linguam non solvunt, nisi ad laudandum eum: eò cogitationes maximè dirigunt suas, ut eum adorent, ut infinitas illius perfectiones, celsitatemque demirentur. Manus in eo potissimum occupant, ut ad Crucis radices, virtutes colligant, humilitatis, mansuetudinis, simplicitatis, quae ibidem enascuntur, quaeque rigantur cruore Dilecti in uniuscuiusque corde

MONIALIUM VISITATIONIS. 401
tanquam in Cruce clavis affixi. Animus id præcipue versat, ut addiscat comprehendatque intelligentiâ quid demum sit abnegare semetipsum, tollere Crucem suam, JESUM crucifixum sequi in derelictione, in destitutione, in injuriis, in ignominiâ, in extremâ ærumnâ, in cruciatibus ceteris: discunt item, actione repræsentare præstantes virtutes æquabilitatis, animi; in partes omnes, tranquillitatis, tenoris semper ejusdem, obedientiæ, paupertatis, caritatis; quæ cunctæ virtutes in mirabili illâ prælectione Calvariæ comprehenduntur.

Meditantibus die ac nocte librum illum prædestinatorum, cujus in capite scriptum est: (a) *Vt faciam voluntatem tuam; & Lex tua in medio cordis mei;* suggerit Amor, ut sacrum illud volumen comedant, (b) *illo compleant viscera, illo cibentur:* semper ob oculos sibi proponant arcana quæ in eo latent, ad meditandum; semper ejus effata in brachiis, ut ea usurpent; semper eorum interiora benedicant & laudent Majestatem summi Dei. Amabile sanè volumen! quod, ut ne quid dissimuletur, *ventrem quidem eorum amaricari facit;* (c) quandoquidem ad perfectam philantiæ mortificationem impellit; verum idem est continuò in ore earum tanquam mel dulce; quandoquidem singularis cujusdam jucunditatis est; præposterum sui amorem obterere, ut is qui nostrâ causâ ex amore mortuus est, in intimo pectore vivat & dominetur. Ita *amaritudo eorum amarissima* in sacro illo monte in suavitatem ab

Cc undan-

(a) Psal. 39. (b) Ezech. 3. (c) Apoc. 10.

undantiae pacis vertitur, unde vera felicitas: proinde in secessu Vulnerum Christi pacatè habitant, ubi pelagus inexhaustum gratiarum naturæ in suscepto consilio singulari constantia perstant, nec unquam discedunt à pedibus Regis sui Crucifixi, idque sequuntur imprimis, ut ipsi arctissimè attingantur; unde experiuntur postmodum verissimum esse quod Psalmographus cecinit: (d) *Quoniam melior est dies una in atris ejus, super millia;* quando quidem in istis atris corda ad se rapit. Eheu! quid non Salvatoris causa facere debeamus, qui tam multa nostra causa fecit: si nostra causa vitam ipse suam profudit, cur nostram nos ejus famulatui & gloriae totam non impendamus?

In idem argumentum, Gnomæ Salesianæ.

Quæ mens sincerè JESUM crucifixum diligit, habetque in pretio, illius quoque ignominiam, cruciatus, mortemque diligit; dumque exigua quædam rerum earundem particula obtingit sibi, inaccessit omnibus lætitiis, & illud, quicquid est, ex amore amplexatur.

Est quidem satis animi S. Petro ad gratulandum JESU, in cacumine Thabor: in monte autem Calvariae cum ipso perstare, Sanctæ tantum Deiparæ est, ejusque sobolis.

Nullam aliam legetem gaudii sibi deposcit sincerus amator Crucis & Passionis Christi, nisi illam cujus radices ex monte Calvariae in Christo JESU.

Quantumvis S. Petrus montem Thabor ante-
(d) *Psal. 83.* re-
po-

MONTALIUM VISITATIONIS. 403
teposuerit Calvariæ; cruor tamen qui è Calva-
riâ defluit, majoris pretii est, atque adeò optan-
dus magis; quàm splendor qui ex Thabor ex-
istit.

Quanti verò pretii lapides sunt, quorum tan-
ta in Calvaria durities; quandoquidem palatia
illa cœlestis Jerusalem, tam nitentia, tam pul-
cra, tam amabilia ex iisdem assurgunt!

Si in regno Amoris æterni, locum ullum ha-
bere possit invidentia, inviderent utique Ange-
li, & cruciatus à Deo hominum causa susceptos,
& acerbitates quæ Dei causa ab hominibus ap-
petuntur.

Si vitam nostram volumus absconditam esse
cum Christo in Deo, faciendum nobis, ut ad ni-
hilum in nobismetipsis redigamur; quò ne ultra
nobis vivamus, sed ei qui sua nobis morte vitam
quæsit.

Christus JESUS in Cruce cor suum amo-
remque immolavit nostrâ causâ: cur non ergo
nos in Altari eodem cor amoremque nostrum
immolemus illius causa; qui tantoperè nos di-
lexit?

Calvariæ incolæ pro nauclero habent Chri-
stum Crucifixum; pro malo, Crucem ipsius;
pro anchorâ, firmam fudiciam; pro velis, aurant
cœlestium inspirationum, quarum ope ali-
quando ad portum beatæ æterni-
tatis appellentur:

* *
*

Ec 2

CAPUT

CAPUT II.

Praxis Humilitatis Christi.

Volebat eximius ille Legislator filias suas nihil scire, nisi IESUM Christum, & hunc Crucifixum, & venerando illo volumine divinas eas voces ipsis tanquam digito monstrans, *Discite à me, quia humilis sum corde.* Nimirum Humilitas hæc, agebat sanctus Fundator, fingit formaque Religiosam disciplinam, fundamentum est ædificii spiritualis, germanus character filiorum JESU Christi. Quamobrem in illius studio incumbere debetis modo quodam præcipuo; quicquid facietis, ex profundâ, sincerâ, ingenuâ humilitate facturæ. Hanc ut aptè usurpetis, & modo minimè vulgari, (quoruscumque enim quicquid est vulgo Christianorum, Humilitatis dignitatem novit?) in nihili vestri voraginem eò usque debetis descendere, ut vos ipsæ oculis subducatur tum vestris, tum mundi: quandoquidem vocationis vestræ eò usque est, existimationem hominum fugere, & nihili opinionem sectari, ut si hæc vobis desit, jacturam facturæ vestri thesauri sitis, neque Moniales Visitationis futuræ. Sic habetote, nunquam Congregationem vestram sublimè elaturâ ramos suos, nedum fructus, nisi quantum radices deorsum aget, per amorem studiumque abjectionis.

Igitur per depressas illas valles ambulate forti & magno animo, ad Crucis Christi radices studiū illud Humilitatis legentes: quandoquidem eam virtutem Deus ipse tanti fecit, ut ei colendæ, Regiæ

giæ dignitatis functionem ad tempus reliquerit, ad
 opprobrium usque se ipsum deprimens, atque ad
 nihilum redigens: quò nos doceret Apostolici spi-
 ritûs effata re & usu representare; vos autem po-
 tissimum institueret ad usurpanda illa quæ vestri
 Instituti sunt, quod quidem à vobis exigit, ut si quo
 modo promoveri illius gloriam possitis, operi cui-
 cunque operam dando, atque adeò erectionem
 jvando aliarum Congregationum famulatum
 Dei, virtute insignium; nullâ curâ domos vobis
 ipsis stabiles parandi, faciatis ex animo: tunc enim
 gratiores sitis divinæ illi Majestati, Humilitatem
 excolentes præstantissimo modo quodam. Nec
 verò dubitare debetis, quin Deus facilitatem illam
 in cordibus vestris intuens ad abjiciendas vos ipsas
 ex caritate, vos præstantem quendam in modum
 evehat, stabiliatque in eo vitæ genere ad quod vos
 vocavit. Permittite vos, cæcorum in morem, a-
 mantissimo isti ductori: nolite respicere quò eati-
 sed quicum eati: itis autem cum Rege Sponsoque
 vestro Crucifixo: it enim profectò cum illo, quis-
 quis se ipse deprimat, dejicit, contemnit ad mor-
 tem usque omnium perturbationum, pravarum-
 que affectionum animi, atque adeò usque ad mor-
 tem Crucis. Verùm ista Humilitas, ista depressio,
 ista contemptio sui usurpanda suaviter, pacatè,
 constanter, Humilitatem illam erigendo excelsi-
 tate mentis quadam, & fiducia Dei: neque enim
 si liceritis affectæ, sinet is, vos unquam quidquam
 aut facere existimationis quærendæ causâ, aut præ-
 termittere contemptiois metu. Statuat denique
 is pro arbitrato, de vitâ vestrâ, de existimatione, de

famâ, quandoquidem illius cuncta sunt omnia: ac profectò si quid contulerit vestra abjectio ad illius gloriam amplificandam, tantò vobiscum præclarior agi sentire debetis, quanto major abjectio vestra fuerit.

In idem argumentum, Gnomæ Sabesane.

Generosa JESU Christi Ducis nostri, sanctæ ejus Parentis, & lectissimi cujusque Militis sacri exercitûs illius, Humilitas tyrannos superavit, subjecit Reges Orbem terrarum universum Christo coëgit crucifixo parere.

Apud Christianos superbia quidem, & inanis gloriæ cupiditas fracti animi, ignavia vocatur, & mollitudo; considerata autem contemptûs admissio, Humilitas, & appetitio ignominia, pro vera germanaque animi magnitudine putatur.

Si quando impotentius ferimus despici nos, & pro nihilo putari, oritur hæc mentis perturbatio ex superbia, philautiaque: nunquam enim pax sine humilitate consistit.

Adducit nos Humilitas ad nosmetipsos ferendos pacatè, abjiciendo nos plurimùm, coram Domino Deo, absque mœrore, atque ita, ut animum non despondeamus.

Humilitas corda mitigat, non modò erga perfectos, sed etiam erga imperfectos.

Quisquis Humilitate præditus est, agnoscit talem se, ut nisi Dominus Deus sit ipse pro scuto & lorica, futurum sit ut brevè peccatorum jaculis transfodiatur.

Abjectionis amor pacis lætitiæque radix est.

Si

Si non estis gratiosæ apud alias, facite ut vos status ille delectet: etenim humilia Dominus libenter respicit; estque illi semper acceptissima contemptio, abjectioque à qua non refugias.

Ex variis abjectionis generibus, optima illa est, quam non elegeris, quæque magis à naturæ sensu abhorreat.

Sincera Humilitas à dignitatum quidem gradibus abhorret; verùm non eos cum pervicaci animi obstinatione repudiat, non eos dum imperantur, detrectans eo nomine, quòd se ipsis indignam agnoscat; tunc enim sibi ipsa inde satisfacit, quòd Deo paret ad ea omnia suscipienda quæ à Prælati imperantur.

Est id demum celsissimæ Humilitatis, in contemptu, in derelictione, in obscuritate interiori, in eo statu, in quo efficere nihil valeas, tranquillitatem mentis retinere, cuncta hæc amplectendo amandoque haud fucatè.

C A P U T III.

De amore proximi.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. (a) Hæc verba sunt, filix in Christo carissimæ, illius quem pro vitæ morumque vestrorum absolutissimo exemplari vobis ipsæ sumpsistis, JESU Christi Salvatoris, quibus vos ipsæ ad acquirendam sanctam illam proximi dilectionem invitatur, in illum intuendo tanquam in operæ pretium Dei, ejusdemque vivam ac spirantem imaginem.

Cc 4

nem.

(a) Ioan. 13.

nem, quæ vestrum, proximum eundem lenitate & obsequio prævenerint, eæ fidelius JESUM Christum imitabuntur.

Nulum acceptius Deo Sacrificium offerre possitis, carissimæ filiæ, quàm ut non tantùm solidè, sed etiam tenero animo, dulciter, suaviter diligatis eos, quos magis naturæ vestræ proclivitas averferet. Blanditias exhibete adversus infirmas, tertricas, eâsque quæ motuosiores vobis videbuntur, earum defectus excusate, quantum sinet vera dilectio: atque illud mementote, istiusmodi naturæ vitia præclaram scholam esse, iis quidem qui affligentis adsumt, certissimæ caritatis; iis autem qui affliguntur ipsi, patientiæ, conjunctæ cum amore Dei. Videlicet horum alteri ad Crucis partem immam consistunt cum sanctâ Deiparâ; alteri in ipsa Cruce versantur cum Christo, cujus cruciatuum acceptabilitatem suo modo imitantur.

Ex istius caritatis præscripto, diligere proximum debetis sicut vos ipsas, non amore ad sensum adhærescente, neque naturali, neque sua sequente compendia, sed casto, constantique: nam amor illorum vester si sensibus immergitur, & bonitate carebit, & formâ: sin ejus fundamentum Deo nitetur, tum verò habebit pretium: atque adeò sinite illum sanè, si istiusmodi erit, agere radices vestras in mentibus quàm poterit altissimas: præstans enim erit profectò, tum quia à Deo proficiet, tum quia feretur in Deum, tum quia ejus vinculum Deus idem erit, tum quia in Deo extabit vigebitque in tempus perpetuum.

CAPUT

CAPUT IV.

De caritate in admissione profelytarum.

UT observat aptissimè S. Bernardus, (a) Deum ab Apostolo Paulo non patrem iudiciorum vel ultionum, sed Patrem misericordiarum vocari; sic voluit magnus Episcopus Gebennensis filias suas matres potius caritatis, quàm severioris iustitiæ esse. Vestræ vocatiõnis est, aje-
bat, filias in Christo suas compellans, divinæ gloriæ ter-
vire, & proximos juvare in necessitatibus. Vivite
igitur sub umbrâ divinæ providentiæ, tanquam
humiles ancillæ JESU Christi, qui tenuiores,
pòsque qui abjectissimi, atque despiciatissimi sunt
in hominum oculis, suavissimè diligit. Quare nun-
quam illud à mentibus vestris elaboratur, non vos
vitam ex humanæ prudentiæ regulis, sed ex fidei
Evangelicæ legibus instituere debere.

Docebunt hæc, non à vestro consortio excluden-
das esse illas, quæ tenuiori valetudine sint, aut vitio
aliquo corporis laborent, sed ad Religionis con-
vivium admitti etiam posse imbecilles, eâsque qui-
bus desit aliquid, quod ad corpus, ad natales, ad ge-
nus, ad educationem pertineat; unò verbo, quæ
contemptui pateant. Leges, inquam, Evangelii
vincent in bono malum hoc, & in suavitate istos
defectus. Neque sanè multùm proximo commo-
daret illa Congregatio, in quam non admitteren-
tur nisi illæ, quarum eximia dotes essent, quarum
que familiaris consuetudo molestum haberet ni-
hil; vestra autem à proposito fine aberraret: di-
sertè

(a) Serm. 5. de Nativit. Domini.

fertè siquidem tradit Institutum vestrum, idcirco
 Congregationem vestram erectam esse; idcirco, ut
 tales, cupidæ vivendi prorsus Deo, non id facere
 prohibeantur, quòd corpore sint minùs valenti,
 constitutione minùs sanâ, ætate minùs vegetâ.
Emitemum cuique, ut fiat calamitosus Deus, inquit S. Gre-
gorius Nazianzenus, Domini Dei misericordiam imi-
tando: neque verò quidquam divinius est, quàm ut
 homo homini benefaciat. Discite igitur aperite
 viscera misericordiæ & caritatis, iis omnibus qui
 ope vestrà indigent. Quòd si in Monasterio aliquo
 una tantùm ad legitimum numerum deesset, ac
 uno eodémque tempore duæ præfarent Hagita-
 réntque se in id admitti, quatum altera valeret vi-
 ribus, & sanitate, altera infirmior esset & languens;
 anteponenda esset ista posterior, quandoquidem
 robustior illa inventura faciliùs esset Monasteriũ
 aliud, in quod admitteretur: etiam si capta esset o-
 culis, aut alterutrius manũs usu careret, dum tamen
 sana mente esset eadem, secũmque præclare con-
 stitisset in altâ quadam humilitate, obedientiâ,
 simplicitate, mansuetudine & resignatione vivere,
 admittenda esset. Planè in delectu rerum persona-
 rumve ex spiritu gratiæ, formidolosæ sunt impri-
 mis rationes à naturâ petitiæ: tunc obliviscendum
 cuique sui, oppugnandũque humanus spiritus in
 gratiam abjectionis, caritatisque sinceræ: etenim
 nisi serpentis prudentia, simplicitate columbæ,
 hoc est, Spiritũs sancti misceatur, planè habet
 toxicum. Quantumlibet imperfectâ indole virga
 sit, si in componendis moribus, affectibũsque ani-
 mi, gratiam ducem sequitur, non naturam; digna
 est

est quæ reverenter excipiat, tanquam templum Spiritûs sancti: etiam si natura ad luporum ferocitatem accederet, blandiendum tamen esset illi; quandoquidem in Agni mansuetudinem Gratia illam convertit. Virgines si mites sunt, dociles, innocentes, puræ, etiam si acumine ingenii haud magno præditæ sint; admittendæ sunt tamen. *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu & tremementem sermones meos?* inquit Deus ipse per Prophetam, (b) Nihil verò tanti est, si maneant inter *Associatas* quas vocatis, donec idoneam disciplinam ad idoneam naturam accedente, tales evadant, quales eas esse convenit, quæ in Chorum adleguntur: quod idcirco addimus, quoniam ne opulentæ quidem ad Chorum legendæ sunt, quod opulentæ sint, sed quod dotibus ad id necessariis præditæ: si iis carebunt, eruntque imbecilles, proveciores ætate, aut valetudinariæ, *Associatæ* fiant; talium enim causam vel maximè gradus is in Constitutionibus positus est: si valentiores erunt, ad domestica ministeria, atque aded ad *Domesticas* sorores juvandas adhibeantur.

Si Virgines quæ prehensant, magni animi sunt, & serio admitti se se concupiscunt, non idcirco sunt rejiciendæ, quod non ingentes illos ardores præ se ferunt; ardores enim istiusmodi sæpenumerò à naturali affectione proficiscuntur, perinde atque habitus ille frigidior earum, quas nulla res magnoperè commovet: inque pomatiis Religiosis scit apprimè Excelsi dextera utriusque truncorum generi gratiam suam inserere. Denique mites & humiles universim, etiam haud locupletes, ante-

(b) Is. 66.

ponendæ

ponendæ sunt locupletibus, quæ minùs mites humilèsq; sùnt. Non quòd velim rejici illas, quæ sùnt à naturâ asperiores agrestioresve, quæque peccare multa soleant, dum tractari se sinant, curari, sanari, forti & lubenti animo perferendo mortificationes, pœnitentias, medicinâsq; alias, quæ ad tales curandos morbos adhiberi ferè solent: evenit enim ferè, ut accedente manu curaque studiosi agricolæ, istius generis arbores fructus denique ferant Principis palato sanè suaves ac jucundos.

Hæc tradebat ex singulari caritate Pater filiarum in Christo suarum amantissimus, gnarus ex Apostoli effato, Virtutem in infirmitate perfici: reputabat etiam illud Nazianzeni, Animam morbo affectam, Deo propinquam esse; in eandemque sententiam nôrat dictum olim à Venerando sene quodam ex Vitis Patrum, filiorum in Christo suorum unum aliquem compellante, ex diuturno morbo miserabilem quendam in modum tabescentem; supremæ Religionis esse, gratias Deo in infirmitatibus agere: nam si quidem ferreus es, ajebat, rubiginem abstrahet fornax ærumnarum; si aureus, metalli alius cujuslibet lortiam deterget ignis tribulationis, reddetque te puriorem,

* *
*

CAPUT

*Caritas in fundationibus, Missionibus-
que quemadmodum exercenda.*

Vocat vos Deus, filia mea in Christo carissimæ, aiebat pius pater, ad perfectam in omni genere abnegationem vestri; quò nullo locorum, nationum, provinciarum discrimine, amplificanda ipsius gloriæ serviatis, uno studio ipsi placendi, nullo rei prætereà cuiusquam intuitu. Neque enim id tantum proponere vobis debetis, ut serviatis proximo, sed ex perfectâ obedientiâ illud prætereà debetis addere, ut regi flectique vos sinatis, quacunque Moderatoribus videbitur, Deum Dei causâ relinquendo, & nuncium remittendo vitæ suavi, quâ fortè fruimini in Monasterio in quo degitis, ut in mediis laboribus ærumnisque, dissociatione, & in locum remotiorem aliquem ablegatione, fidelem ipsi operam impendatis. Quid enim refert verè sinceræque amantis, celesti Sponso, hoc illòve loco famulari; hoc illòve modo? Omnino, qui nihil sequitur aliud, nisi ut Dilecto satisfaciatur, acquiescit in rebus quibuscunque, quæ ipsi satisfaciunt. Et verò, quæ nubunt in seculo, sæpenumerò se se ipsæ parentum conspectu ultro privant, patriamque deserunt, quò morem gerant conjugibus ignotis, aut saltè quorum mores ingeniumque minimè perspectum habent; Virginibus Dei non major inerit mentis firmitudo ad nova excolenda apiaria, rem economicam divini amoris, melle dulciorem, tractando, ad Sponsi sui gloriam promovendam? Certè

Certè

Certè ut mittuntur Apostoli in omnem terram, ut
 quæ Dominus JESUS facturus venerat, eadem
 ipsi pergant facere, ut homines *vitam habeant, &
 abundantius habeant*; sic, filix in Christo carissimæ,
 ad hoc vocamini, tanquam Apostolici spiritus
 participes, ut hæc illacque pergatis, ad dandam ani-
 mabus compluribus *scientiam salutis*, perfectione-
 que Evangelicæ in vestro instituto comprehen-
 da. Ac tamen per sexum vestrum vobis non licet esse
 Apostolis, si dignitati tamen tantæ estis impari
 non estis impares Apostolico ministerio: etenim ut
 Sacramenta non conferatis, neque remittatis pec-
 cata; vitam tamen datum itis, & abundantiorẽ
 quidem, quando quidem tam multas videmus
 nuncium seculo, vestro exemplo remittere, quæ
 cælo fortè inter seculi ejusdem discrimina inania-
 que studia excidissent.

Si vos vestræ imbecillitatis conscientia, menti
 vestræ cum sollicitudine obversans commoveret; ad
 eum levate *oculos vestros qui habitat in cælis*; jactate
 in infinitum ejus amorem vestras formidines.
 Nullum unquam is ad res magnas & arduas ad-
 hibet, quin continuò lumen infundat necessarium;
 quorum operâ uti vult, iis auxilium præbet, ut
 id de quo agitur, ad gloriam suam efficiant, vel si
 mittendus sit Angelus ad ductandum eos. Me-
 tum omnem ponite, filix meæ; ite, ac suscipite
 magno & fidenti animo quicquid ad Domini Dei
 cultum gloriãque pertinebit: ipse ad dexteram
 vestram aderit, ne qua vos percellat difficultas:
 ipse firmamentum vestrum erit, vòsque brachio
 sustentabit suo, quò suum iter insistatis. Et erant
 quidem

quidem Sancti Apostoli primum piscatores impetiti; post, Deus illos erudit, doctrinam imperitiam necessariam ad ea perficienda, ad quæ ipsos mittebat: eodem profus modo aget vobiscum, benedicens vobis in itinere, in eo loco in quo consistetis: dum ipsi famulabimini, dum proximo propter ipsum, seu vel ad nihilum usque vestrum deprimet, seu ad se evehet, rerum omnium instar vobis futurus.

His maxime incitamentis pius Episcopus mentes filiarum suarum erigebat, non modò periculorum formidinem tentationumque amolens, sed etiam earum metum injiciens adversariis omnibus. Praclare siquidem S. Ambrosius: (a) Quis non metuet eum, quem scit Dei amicum, qui Deum habet protectorem, imò vindicem; pro quo Deus pugnat, ut eum triumphare faciat?

In idem argumentum, Gnoma Salesiana.

Qui proximum non in corde Dei respicit, periculum est ne is proximum castè, ne constanter, ne æquabiliter diligat: in corde autem Dei quis non proximum diligat ac toleret? ibi tam amabilis est, & amatur tantoperè, ut diligens dilecti causam moriatur.

Nihil sinceræ dilectioni neque humiliter neque difficilius, quod ad proximi utilitatem commoditatemve faciat.

Quandoquidem in cælo inter nos per amorem JESU CHRISTI diligemus, cur non idem ille amor JESU CHRISTI corda nostra hîc in terris conjungat?

Zelus,

[a] in cap. 2, 2. ad Cor

Zelus, bonus profectò est, dum sit benignus, humanus, pacatus, tolerans. JESUS Christus in terras veniens ad salvandas animas, zelum habet humilem, suavem, amabilem.

Omnis lex in uno sermone impletur, inquit S. Paulus, (b) *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Atque ea vox magno Episcopo causa erat, cur spiritum totum Visitationis ad solidæ caritatis functiones referret. *Mihi videtur*, inquit S. Augustinus, (c) *quòd definitio brevis & vera virtutis, ordo est amoris: propter quod in sancto Canticò Canticorum cantat Sponsa Christi, civitas Dei; Ordinate in me caritatem*. In eandemque sententiam tradit S. Joannes Chrysostomus, *Caritatem principium, finem, radicem, cæctum fundamentum virtutis esse.*

CAPUT VI.

Permittere se quamque divine Providentiæ debere.

Virtuti brachii tui quis resistet? inquit Sapiens; (a) *compellans Deum*: quoniam tanquam momentum stateræ, sic est ante te Orbis terrarum; (quæ statera atollitur deprimiturve, pro moderantis arbitrio, quietem motumve tribuentis ut lubet) & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram, quæ ad primos solis aestus evanescit advertente nemine. Plane est id ingens incitamentum ad contemnendas res creatas omnes, ad Deum unum magni faciendum, sic ut tuam ipsius tenuitatem agnoscas, teque reputes pro nihilo; quandoquidem re ipsâ nihil es, ei que prorsus confidas, qui tibi potest & vult benefacere. Atque est hac quarta lectio, quam sanctus Patriarcha Moniales Visitationis volebat a Jesu Christo

(b) Gal. 5. (c) Lib. 15. de Civit. cap. 22. (a) Sap. 11.

Christo Crucifixo discere, qui se unice divina Providentia permiserit. Homo in hoc orbe terrarum, agebat, a summo rerum omnium Procreatore satus est tanquam præstans arbor: eundem ipse per suam sapientiam excoluit, rigavitque JESU Christi sanguine; quò fructus ferat dignos Domino cujus est. Is verò cupit animam parere, seque ultro permittere beneplacito Conditoris; qui cum illis quos ad vitam beatam designat, sic se ferè gerit, ut in iis sentès priùs, quàm rosæ enascantur: neque quidquam ab illa dextera proficisci sinit, quod non aptum sit ad animas se ipsum metuentes in sancto amore purificandas. Excipite igitur, carissimæ in Christo filiæ, tentationes; ariditates, res duras alias adversantelque naturali proclivitati, mente æquabili, mente voluntates vestras divinæ voluntati planè conformando. Est hæc quidem valdè sublimis lectio: verùm, Deus is, a quo illa vobis traditur, excelssimus est; ut is vobis solus adsit an non satis habetis præsidii? Nonne propositum vobis est, adorare ubique cœlestè Providentiam; eidemque & suavissimo Cordi Salvatoris, obsequi in omnibus? An non in ardenti illâ dilectionis fortitacè spes omnes vestras positas habetis? quid igitur tantoperè interest, in Thabor, an in Calvariâ versemini, hoc illòve in statu sitis? felix qui unum Deum quærit; nihil prætereà! quocunque enim loco sit, inveniet utique quod quæret; quærèrque ubicunque id quo fruetur.

Qui ad nihil adhærescit, nisi ad Dominum, Domino hilarè famulatur, & ferè æqualitèr in omnibus;

De

bis;

bus: nec disquirit, num quæ ex iis quæ agit consecutura sint, utilia commodæve futura sint, an incommoda & damnosa. Nimirum satis illi est sibi constare, benignissimum illum mortaliū Asser-torem ac Vindicem arctissimo quodam & suavissimo amore complecti eos, quibus id boni obligit, ut se totos permittant divinæ providentiæ, cui certo destinatioque consilio Deum sequendi per omnia quicquid tandem inciderit: tunc enim in curam suscipit reum omnium ad hos spectantiū, omniāque procurat & administrat sic, ut nihil animæ faciendum supersit, nisi ut in ejus sinu complexūque requiescat. Ac tunc demum sollicitate mentem desinunt inquieti illi impetus ad conqui-randa ea, quibus se antea oblectare solita erat: & absque angore, eventus omnes, & casus qui hominum vitam ferè exercent, placidè tranquilleque excipit: etenim quisquis in manu Dei est, quisquis in ejus sinu requiescit, totūque se ipsius beneplacito permittit, expers metūs est, in momenta illud Christi JESU, in Patris providentiā profus ac- quiescentis, iterans, *In manus tuas commendo spiritum meum, animam, corpus, uno verbo, quicquid sum.*

Sapienter utique: quid enim non hominem invitat ad projiciendum se in eum, cujus providentia cuncta gubernat, (a) quique testatum nobis esse voluit, (b) si Mulier oblivisci possit infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui, non tamen se nostri obliturum Praclarè S. Bernardus (c) in hanc sententiam: Ille mihi (intendit) quia benignus & misericors est: ego illi qui,

(a) Sap. 14. (b) Is. 49. (c) Serm. 68. in Cant.

quia non sum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratiâ; ego illi gratiam pro gratiâ. Ille meæ liberationi; ego illius honori. Ille salutem meam; ego illius voluntati. Ille mihi & non alteri; quoniam una sum columba ejus; ego illi, & non alteri: nec enim audio vocem alienorum.

In idem argumentum, Gnoma Salesiana.

Qui sic comparatus est animo, ut mille mortibus objecturus se sit potius, quam vexillum Crucis deserat, securus esse potest: etenim illius ærumnis Dominus benedicet.

Beatus es, si quæ Dominus Deus corde prorsus paterno, deque tuâ perfectione solcito mittit, tu vicissim eâ dilectione quâ prosequi parentes filii solent, exceperis.

Præmium nullum est sine victoriâ: victoriâ nulla sine certamine: proinde mestem erigamus, ærumnas nostras in virtutis exercitationem convertendo:

Quandiu animus in cælo versatur, agitari casibus iis nequit, qui in terris occurrunt.

Delectatur nonnunquam summa bonitas filiorum suorum labore & anxietate, quò deinde consolationes quas immittit, degustent jucundiùs.

Non tranquillitas Deum cordibus nostris admovet, sed amoris erga ipsum nostri fidelitas.

Niti potissimum consolatio nostra debet eâ cogitatione, Dei nos esse; id si fiet, pro nihilo molestias quascunque putabimus; dum illud semper animus versabit, habere nos tam præstans perfugium, & qui labentes tam singulariter fulciat.

Semper divina bonitas fontē gratiarum uberiorē sufficit iis, qui sibi generosè, fortiter, sublimiter famulantur. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, aiebat Apostolus. (d)

(d) Heb. 10.

CAPUT VII.

De Voto Castitatis.

Cùm semper in Congregationibus virginum mulierumque Votum Castitatis, pro uno fundamentis Congregationum earundem putatum sit; nihil est, aiebat Beatus Episcopus, cur immorer diutiùs in declarando, quàm illud exactè observari ab unaquaque debeat: nam ut uno verbo cuncta perstringam, unius cœlestis Sponsæ causâ vivere & spirare debetis, in omni sanctitate spiritûs, sermonis, habitûs externi, & factorum, Angelicâ quadam & immaculatâ conversatione.

Quantæ tandem felicitatis est, inde ab hujus vitæ mortalis tempore servare, ut facitis, in certo destinatoque consilio illibatam castimoniam, quam in cœlo Angeli & Beati servant necessarè? Et est quidem ea virtus tam præstans, ut animabus candorem liliorum, folis nitorem imperriat. Corpora præterea consecrat, idque ipsis tribuit, ut divinæ Majestati dedicentur prorsus, ita ut dicere aptè queant, qui eo modo excolunt castimoniam: (a) *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum ex Dei amore*, cujus causâ voluptatem omnem corporis abdicavi. Et verò debent sponsæ JESU Christi, in Calvariæ monte degentes, cupi-

dita-

(a) Psal. 83.

ditates omnes affectusque humanos exuisse, ad eum propè modum quo ipsarum Sponsus, ubi ad eum montem pervenit, eripi sibi permisit vestes quibus contegebatur; quò per assiduas expoliationes veteris hominis reiecto prorsus suæ captivitatæ amictu, in Crucis convivio, cujus quidem delitiæ infinitè secularium nuptiarum oblectamenta superant, proximè illum adstant, amictæ stolis albis, hoc est, id unum sectantes ut Agno placeant. Vestræ igitur partes sunt, filiæ carissimæ, illud statuere vobiscum, vos deinceps ibidem in monte Calvariæ vitam exacturas cum Sponso vestro, moriente in langoribus, inque dilectione; illud Sponsæ usurpando, (b) *Fasciculus myrrhe Dilectus meus mihi: inter ubera mea commorabitur.* Addam centies in die: In eo repositæ spes meæ omnes sunt; est in eo perennis meæ felicitatis origo; is est Deus cordis mei: nihil unquam me ab ejus caritate separabit: neque verò vivere volo deinceps, nisi ut holocaustum suavitatæ facta, oculis ejus placeam.

Eum ad modum Sacerdos magnus ad perfectionis sanctitatisque culmen incitabat innocentes animas, quæ sub suis auspiciis acturæ vitam essent: siquidem ex S. Dionysio, Sanctitas est ab omni iniquatione libera, incontaminatissima & perfectissima puritas: ex Tertuliano (c) autem, Pudicitia est flos morum, honos corporum, decor sexuum, fundamentum sanctitatis, præjudicium omnis bonæ mentis: uno verbo, virgines sunt Angeli illi spectabiles, de quibus S. Augustinus: ex eisdem Hieronymus (d) conflat familiam, quæ filio Dei fa-

D d 3 mu-

(b) Cant. I. (c) de Pudicit. c. I. (d) Epist. 22. ad Eustochium.

muletur, quò in terris à Virginibus adoretur ad eum modum, quo in cælo adoratur ab Angelis.

In idem argumentum, Gnoma Salustiana.

Cœlestis Sponsus quem deligunt sibi sanctæ animæ, fasciculus myrtiæ est: quisquis eum diligit, amarorem diligit necesse est.

Non solet ferè hac in vitâ JESUS gratificari iis, quos ceteris habet cariores, alio modo, nisi prærogativâ quâdam dura multa tolerandi, Crucemque post se ferendi.

Quâ tandem fieri queat, ut JESUS Christus Crucifixus ad pectus intimè applicetur, quin clavorum stimuli, spinarumque aculei idem illud pectus pungant?

Nulla tam certa testificatio est studii diligentis erga Dilectum, ac rerum gravium acerbarumque ipsius causâ suscepta perpessio; ea enim est hujus vitæ conditio, ut plus ablynthii quàm mellis exurgendum sit.

Mirâ arte natura nostra utitur ad res duras declinandas: quanquam sæpenumerò, quòd eas aversamur, non amoris defectui tribuendum est; quandoquidem si intelligeremus nos magis Christo placituros pelle detractâ, pellem nobis ipsi detraheremus, gravatè quidem, sed faceremus tamen.

Quæ amat fideliter, committere non debet, in difficultatum fortè objiendarum metu dejecta sinat, in vitâ eâ crucifixâ, quam cum Christo Crucifixo exigit: quandoquidem ipse ejus firmamentum futurus est.

Spon-

Sponsus omni adoratione dignus, ut nos æterno Patri acceptos redderet, cum eodem nos in laboribus suis, in sanguine, in morte reconciliavit.

Dignus utique est hominum Salvator, cui in sinceritate spiritûs, & cordis munditie serviatur, quandoquidem ad id ipse sponsas suas tantâ amoris demonstratione tantâque suavitate invitavit.

Postquam se semel Deo fidelis sponsa spiritu, corde, corpore consecravit, eidem se assidue in sacrificio laudis offerre debet.

Ut autem illa sacrificia Sponsarum, Sponso accepta sint, ejusdem amoris igne, inflammanda sunt.

Et ad sacrificium quidem quod attinet, mens eadem SS. Ignatii Antiocheni, (e) Ambrosii, (f) Hieronymi, (g) fuit: quorum primus, Virginibus impendi honores eosdem vult, qui Sacerdotibus filii Dei tribuuntur: alter Virgines Martyres vocat: tertius easdem appellat Hostias JESU Christi.

(e) Epist. ad Thars. (f) In Psal. 118. (g) Lib. I. contra Iovinianum.

C A P U T VIII.

De Voto Paupertatis.

PRædator ille innoxius, liber Evangeliorum, qui Franciscum olim Assisinatem spoliaverat; idem Franciscò Salesii cor integerrimum nudaverat, eidemque suggererat pios illos sensus, quibus ipse filias suas ad studium inflammaverat Paupertatis severissima, quæque ad leges Evangelii exactè conformaretur. Vulpes, ajebat, (a) foveas habent, & volucres cœli, nidos: filius autem ho-

D d 4 minis

(a) Matth. 10.

minis non habet ubi caput reclinet. Hunc videlicet in modum ille Assertor Vindexque mortaliū, ut in statum meliorem restitueret ea, quæ insana divitiarum cupiditas pessunde dederat, paupertatem coluit quam rigidissimam potuit incensa ipsius caritas excogitare: quandoquidem totā vitā caruit ultro honoribus, opibus, rebus non tantū commodis, sed etiam necessariis: in exitu autem, sicut à militibus vestibus exui corpus suum: artus per durissimam verberationem lacerari permisit: mortem denique admisit, quæ animum sejunxit à corpore. Hæc omnia cū amor effecit, facit vicissim amor, qui se in vestra pectora ipso immittente insinuavit, ut vobis ipsæ beatamoriāmini, qui vivatis Deo; quique vos ad paupertatem incitat tam rebus omnibus spoliata, ut solus Dominus pars sit hereditatis vestræ: eā fiducia, fore, ut cū totas vos ipsæ ejus famulari dicaveritis, suppeditet ipse res ad tuendam vitam necessarias: quoque studiosius exteriora ista bona abdicaveritis, eo honore contentæ, qui vestræ Congregationi communis est, quique in eo versatur, ut unius Dei gloriam sequamini, eā existimatione quæ item vestrum omnium est, ut ædificetis proximum; tum verò abundè in vos conferet pretiosissima quæque dona gratiarum, facietque ut vestra ipsæ experientia edoctæ prædicetis, nullo unquam bonorum genere cariturum eum, qui se ipsi prorsus permittat. Quamobrem studiosa quadam constantia colite perseverantem illum renerem venerandæ illi providentiæ permittendi vos ipsas, quæ vos in perfectā illa munditiæ, rerūque
omnium

omnium abdicatione sponsarum Christi constituat. Beati nudi Dominus enim JESUS Christus ipsis pro veste futurus est, pro opibus, pro regno, pro vitæ beatæ fonte & scaturigine.

Hac ille: eâdem autem mente, eodemque sensu interiori S. Gregorius Nazianzenus de iis, qui ex normâ Evangelii mores vitamque componunt exactius, Eorum vita, agebat, præ se fert opes in egestate; possessionem in peregrinatione; gloriam in contemptu; patientiam in infirmitate; felicem filiorum spiritualium sobolem in cælibatu. Ii in repudiandis vitæ oblectationibus, veriores delicias reperiunt, in colenda humilitate cælum quærunt; ut in terris dominantur, nihil habent in terris; in carne supra carnis leges vivunt: Deum habent pro portione atque hereditate sua; spe Regni ingentis, indigentia incommoda tolerant lubenter, in ejusdemque indigentia difficultatibus coronas sibi suas stabiliunt.

In idem argumentum, Gnoma Salesiana.

Dum Christo Domino serviamus fideliter, comperiemus usu ipso, oblectationem quæ mente capitur ex ea cogitatione, nos ejus causâ reliquisse omnia, orbibus terrarum mille, si tot essent, esse potiore.

Est hæc humanæ prudentiæ insulsitas, ut dicat, Beati divites! Christus autem JESUS dicit, (b) *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram in hoc mundo, quia lugebitis & flebitis.* Ceterum, pauper dici nequit, qui sua ipsius commoda sequitur, quique oblectationibus suis, naturali proclivitati, propria

D d 5

(b) Luc. 6.

priæ voluntati indulget: prædicavit enim JESUS in contrarium: (c) *Qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

Si Paupertatem magni facimus, est hæc profectò excolenda, generosa quadam caritate, perferendo quæ ex ea sequentur, contempcionem videlicet, & vitæ incommoda.

Qui Religiosi Meum adhuc, & Tuum usurpant, procul absunt tum à perfecto spiritu Evangelicæ Paupertatis, quæ non quærit quæ sua sunt: tum à securâ illâ tranquillitate animi, quâ filii Dei in suavissimâ Patris cœlestis providentiâ acquiescunt.

In eandem sententiam agebat Apostolus, (d) *Scire se abundare, & scire penuriam pati: estque id imitari Angelos, qui rei nullius egent: & esse contentum paucis, est statum illum innocentie tanto postlaminio aliquâ ratione revocare, & antiquam illam primorum parentum libertatem imitari; eademque arte divinam benignitatem sibi adstringit quisquis id facit: non enim continere se Deus queat, quin abundè & copiosè bona sua derivet in mentem generosam, quæ idcirco res creatas quaslibet abdicat, ut Deo adherescat intimè, quæque nulla alia bona querenda sibi unquam arbitratur, nisi amoris ipsius & gratiæ thesauros, in omne ævum perstituros.*

(c) Luc. 14. (d) Philipp. 4.

CAPUT IX.

De Voto Obedientiæ.

Alebat S. Ioannes Chrysostomus, Davidem plus sibi gloriæ atque existimationis comparasse, dum in spelunca vitæ Sævilis pepercit, atrocissimæ insectatoris, quàm dum præ-

prostravit Goliath, immanem illum gigantem. Et est quidē aliquid, hostem vincere; plus verò, vincere seipsum: hoc enim posterius genus vincendi, gloriam victori confert talem, ut sublimior nulla cogitari queat: quæque spolia inde referuntur, optimiora sunt, præda illustrior, trophæa gloriosiora. Omnino fatalis homini fuit sua rebellio, obedientia salutaris: etenim quo tempore jugum excussit obedientia, quam suo procreatori exhibere debebat; eodem, imperio excidit quod habebat in res omnes creatas; suasque ipsius vires & facultates omnes simul ac semel in se rebellasse incredibile suo damno sensit. Non vis parere Domino tuo? agebat S. Augustinus: servo tuo parebis. Quid verò æquius lege Talionis, Deum inter, & hominem? inquit S. Bernardus, sentiat peccator seditionem domesticam, in qua obtinere jus suum auctoritatemque vix possit, quandoquidem auctori vitæ bellum nefarium indixit.

Hæc cum secum reputaret Maguus Franciscus Salesius, in eandem sententiam filias compellans suas, agebat, Memento scriptum esse, (a) *Virum obedientem locuturum victorias*. Tot hostes vobis imminent, tum aspectabiles, tum recti, quique oculis deprehendi nequeant, ut necesse vobis sit, si victoriam quidem reportare cupitis, obedire, atque adeò abnegare planè perfectæque voluntatem propriam; quò postquã in terris dimicando viceritis fortiter, in cœlis triumphetis magnificè, victoriasque vestras Christo Domino illiusque sanctissimæ Genitrici exponatis. Recogitate frequenter vobiscum, Christianas vos esse: atque adeò non vos voluntatem vestram facere debere, sed ejus qui vos hîc filias adoptivas

(a) Prov. 21.

optivas esse voluit, post, in cælo coheredes, in totam æternitatem. Corda vestra cum generoso quodam parendi studio cum JESU CHRISTI corde conjungite, qui quidem divinitati insitus, radix arboris erit; alacritas in parendo vestra ex amore, fructus suavis. Abdicate jus illud, quod habere se quidam sibi persuadent, interponendi judicium suum, concupiscendique id quod sibi melius videatur; in eos ad quos attinet, curam transferendo volendi vestrâ causâ, & à vobis exigendi quicquid collibitum fuerit. *Vera namque obedientia, inquit S. Gregorius, (b) nec præceptorum intentionem discuit, nec præcepta discernit: nescit enim judicare, quisquis didicerit obedire.*

Obedite cælo quodam animo, ut in illo totæ vivatis, à quo conditæ estis, & cujus gloriæ baptismo estis initiatæ, & ad sublimem dignitatem evectæ Sponsorum JESU CHRISTI. Agnoscat quisque, dum paretis, non vos hominis causâ parere homini, sed ex Conditoris amore, quem in homine videre vobis videmini. Omnia vestra studia collocate in manu Dei; quò illa ipse pro arbitratu tractet, componat, poliat. Atque in eâ maxime re absolutissima obedientia posita est, haud utique interminationis egens, præmiorum, legum, præceptorum: siquidem hæc cuncta occupat, Domino Deo subjiciens sese, ejusdemque causâ, homini, ob summam ipsius bonitatem, propter quam dignus est utique, cui voluntates omnino omnes pareant; neque ipsi tantum, sed etiam quicumque voluerit. *Quamobrem vestra Congregat;*

(b) in lib. I. Reg. caput 3.

gregatio, in qua unaquæque voluntatem suam abdicat, & ubi una unius voluntas, omnium corda & animos movet, agitque; honorificâ illâ appellatione insignitur, *Voluntas Dei in illâ*:

Cum igitur voluntas Dei, voluntatesque illorum, qui vobis ipsius loco præsent, in unam eandemque coaluerint, per ipsam is in vobis vivit regnatque; per eandem vos in illo vivitis & consistitis, ita ut ingenti cum fiducia dicere possitis; Domine Jesu, postquam obtulimus tibi quicquid habemus, nunc demum immolamus tibi quicquid sumus, libertatem nostram pyræ Criticis tuæ imponendo; & astrictam quidem vinculis, quod ea, accepta victima fiat beneplaciti tui; ac ipsæ in exactâ obedientiâ, sancti amoris tui flammâ ardeamus, & ejusdem amoris gladio transfixæ emoriamur:

Atque is supremus gradus est perfectionis, ad quam Magnus ille Ordinis Visitationis Fundator incitabat eas, quibus tantum boni obrigerat, ut eo Directore uterentur. Exigebat videlicet ab illis cæcâ obedientiam, illius S. Pauli conversi similem (c) Domine, quid me vis facere? Volebat ab ipsis effici id quod fieri vult Deus, antè, quam audissent illa; quid vellet, aut saltem antè, quam illud examinassent, ex mente S. Augustini: fidelèmq; animam oculos habere columbarum, ad obedientiam quidem quod attinet, lacte lotos: qui liquor, ut S. Gregorius Nyssenus interpretatur, objectarum rerum imagines minime reflectit, atque adeò designat sanctam obscuritatem animarum, quæ sub velo fidei, ac sub Legis tenebris nitescit, dum cæco quodam more obtemperat, nihil quidquam videns, nullum

agno-

(c) Act. 9.

agnoscens præter eum qui præcipit.

In idem argumentum, Gnoma Salesiana.

Verus obediens, hæc sæpe itat: Domine, quid me vis facere? doce me facere voluntatem tuam. (d)

Dum in hac navigatione Cynosura nostra sit voluntas Dei, feliciter ad portum appellemus.

Obediens non respicit hominem imperantem, sed Deum, cuius nomine imperat.

Haud mirum, si ad perfectam obedientiam adipiscendam eluctandæ res multæ sunt: quid enim magni pretii sine labore obtinetur?

Non magnopere retrum dæmonem commovet afflictatio corporis, dum is qui sic se vexat, voluntatis propriæ sit amator: neque enim is asperitatem corporis, sed obedientiam reformidat.

Jejunium ex propriâ voluntate susceptum carnem emaciat, debilitatque, sed idem proprium seu amorem seu iudicium corroborat; peccatumque ex corpore translatum inducit in animam, cum inani æstimatione sui.

Ingredi Religionem nemo debet, nisi eo animo ut ad perfectionem perducatur per efficacissima media: efficacissima autem sunt ea, quæ non sponte elegeris.

Vetæ Dei famulæ in dies singulos feliciter faciunt quidquid Deum putant ipsum velle hodie fieri; cras, & deinceps, ad eundem modum; omni aliâ solitudine valere iussa.

Aperi igitur, soror in Christo carissima: potest quidem intrare, inquit S. Ambrosius, (e) non vult tamen importunus irruere, non vult invitos cogere. Plane ipsi

(d) Act. 9. Psal. 142. (e) Serm. 12. in Psal. 118.

ipsi vult displicet: delectatur autem sincerâ ingenuitate mentis, quæ ultro se ejus famulatui quantâ maximâ potest arbitrii libertate dedicat.

CAPUT X.

De dono Orationis, quod Deus eximiis quibusdam famulis suis impertitur: documenta eâ de re Francisci Salesii.

ORatio justis, aiebat S. Augustinus, clavis est cœli: ascendit precatio, descendit Dei misericordia. Observat item S. Ioannes Chrysostomus; Clavem cœli fuisse sermonem Elia: jubet, inquit, & clauditur cœlum: orat postmodum, & aperitur. Sanctus autem Petrus Chrysologus (a) iisdem consentaneè, Per hanc (orationem) Moyse fit Deus, & ad triumphos suos militare sibi omnia mandat elementa. Famulus autem Dei Franciscus Salesius Orationis efficacitatem ad cor usque Dei (ut quidem videtur) vult pertingere, tam arcto vinculo, ut nihil possit anima cum Deo conjunctionem dissolvere. Hac in re, sic mentem ipse suam explicat, eas instituens, quibus directionis officium impendebat. Anima mea liquefacta est, ait Sponsa, (b) ut dilectus meus locutus est. Est profectò illud bonorum omnium maximum; est hoc pars vestra singularis, ut vobis divinus vester Sponsus singulari fide juxta, & amore adstet, unde copulatio cum illo vestris in cordibus tam intima, tam suavis, tam perfecta, ut nihil prætereâ addi ad eam conjunctionem possit: atque illud est quod orationem vestram informat, quodque experiuntur eæ, quarum cor divini illius amoris flamma succendit acrius: quæ rerum omnium cre-
atarum

(a) Serm. 43. (b) Cant. 5.

atarum oblitæ, sic postmodum nã afficiuntur, ut possint impleri fidelissimo illo amico, eoque prorsus occupari, tanquam in toto suo, à quo quid à se velit excipiant, unã cum robore animi tanto, ut id quod ipsi maximè placet in virtutum solidarum exercitatione & usũ, amplectantur. Atque hac simplicitate cum amore conjunctã conformamini quodammodò purissimo & simplicissimo spiritui summi Dei: fideli autem illa & sollicita abnegatione, Cruci Jesu Christi configimini. Felices verò illas, quæ iter illud insistent fideliter, totæ in eo occupatæ, ut ament, & tolerent; permittentes se divinæ providentiæ; ad eum planè modum, quo filii ad sinum matrum confugiunt: Deum familiari quadam cum ipso consuetudine queritantes; obsurdescentesque ad artes humani spiritus, qui nos à viis Dei abducere solet; quò nostras sequamur. Etenim dum Domino Deo placet opus suum in animã exercere, illi continuo impertitur rerum altissimarum scientiam: quæ ipsam cognoscere vult, tam dilucidè objiciens, imprimensque, ut hinc longè eruditior; quam prolixã multiplicique cum mortalibus sermocinatione evadat.

Hic verò modus colloctionis, Deum inter & animam, arcanus totus est, & quicquid hinc transigitur utrinque intimè, murua quadam communicatione, quæ ne percipi quidem queat nisi ab eis, qui usum quendam illius habent. In eã non lingua tantum eloquitur, sed oculi, suspiria, habitus: silentium ipsum pro sermone est: Sponsus cor referat; ipsique suaviter infundit suam, sic ut

ut amore exuberans exclamet dicatque, (c) *Inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam: tum lætitiâ colliquefcens, infinuat fele, fi fas dicere, in Divinitatem ipsam, non modò ut ei fe adjungat, fed etiam ut fe cum eâ commifceat, fibi moriens ut fe immergat in Deum, vitâque Dilecti vivat deinceps: ipfe autem animæ ejufdem vires & facultates omnes in finum fuavitatis fuæ colligens, dat illi ubera fua, propinatque lac illud fuaviffimum: unde ipfa denuo in has voces toto cordis impetu erumpit: O Domine, ego tua fum; tua fum, inquam, planè ac profus: heu, mi Domine, trahe me femper magis ac magis in facros cordis tui recessus: abfumat me amor tui, fic, ut tota in ejus fuavitate demergar.*

Verùm ad eam formam Orationis anima nulla evehitur quin pura fit, & rei cujuslibet amore & cupiditate carens: neque id genus verfandi cum Deo temerè fequi ullus debet, tanquàm fele obtundens: vitando perftudiofè curiofa, fublimia, fufpenfiones quas vocant, prærogativas elatiores, quæ plus admirabilitatis habent in vulgus quàm fantimonix, quæque fpiritu abjectionis & humilitatis adverfantur, quam ex veftri Inftituti præfcripto profiteremini, fic ut fit *vita veftra abfcondita in Deo.* (d) Ad illum verò hortum fantæ orationis invitat Sponfus Sponsas fideles: *Meffui, inquit, myrtam meam cū aromatibus,* (e) res duras alias ex aliis perferendo, merita meritis adjungendo, thefauros thefauris, unde illas ditem: *fayum meū cum melle comedi, in illis vivens vita mea nova: vinum meum cum*

E e lacte

(c) Cant. 4. (a) Col. 3. (e) Cant. 5.

lacte consolationum miscui, ut illas oblectem præsentiam meam, ut in sanctam quandam ebrietatem inducam. Atque hæc est illa felix ebrietas, quæ nos vivimus, jam non nos; vivit verò in nobis Christus, illumponentes ut signaculum super nostrum, ad quod studia nostra omnia accurrant; super brachium nostrum, tanquam gladium dilectionis, quo ad præclara virtutum omnium facinorositatem utamur: hæc verò vitam vobis suppeditabunt humanam celsiorem, ecstaticam, extantem à sensibus unde ad Dilecti vestri imitationem (qui nullo loco, ne in Cruce quidem, visione beatificam destituebatur) in has voces etumpetis, Ego dormio, me, resequere meas Deo meo permittens profusus: & cor meum vigilat, (f) invigilatque factis meis omnibus illius ipsius causam.

Sanctam verò ebrietatem, quæ per sacrum commercium Orationis animam in divini amoris cellaria introducit, quam optabilis es, quandoquidem ex te proficiuntur casta delicia, & puri fidelisque cordis opes, solidaque lætitia. Bibite & inebriamini carissimi, inquit Sponsus; (f) at illa ebrietas castissima, de qua S. Ambrosius, quæ sobrietatem impertiatur, lætitiæ efficiat non crapulam, pellat vertigines, lætitiæ largiatur; aut, ut S. Bernardus, quæ animam immergat in Oceanum veritatis, non in fumos potionis quæ sensus citillet; quæ puras integrasque mentes accendat sacris ardoribus Dei unice dilecti, non astu ex vino, quod rationem evertat, perimatque gratiam.

(f) *ibid.* (g) *ibid.*

CAPUT

CAPUT XI.

Documenta alia ad Orationem.

Habet tantam efficaciter Oratio, ut natura vim omnem superet, & cum imperio quodam elementa omnia cedere cogat sibi: quandoquidem, ex mente S. Petri Chrysologi, (a) quem paulo ante attulimus, dicit quodammodo queat, illam in partem quandam venire omnipotentia Dei. Per hanc, inquit, Moyses ad triumphos suos militare sibi omnia mandavit elementa. Hæc magnus Episcopus Ravennas: quæ sequuntur, de eodem argumento Episcopus Gebennensis.

Nolite putare, filiæ meæ, Orationē opus humani ingenii, aut humanæ artis esse: donum est eximium Spiritûs sancti, animæ facultates attollentis supra id quod naturaliter possunt, quò se cum Deo coniungant, eo gustu, eaque communicatione, ad quam sine eiusdem Spiritûs sancti ope nulla hominum ratiocinatio, nulla sapientia pertingere queat. Ac viæ quidem per quas Sanctos ipse in Orationis usu deducit, miræ sunt eadem & valde multiplicēs: proinde suspiciendæ quidem illæ omnes cum veneratione sunt, quandoquidem omnes nos ducunt ad Deum, & Deo quidem duce: verum, haud propterea sequendæ unicuique omnes, quod infiniti laboris esset: imò verò nullam earum deligere quisquam debet suo arbitratu: in eo vel maximè res vertitur, ut quisque quò à Deo agatur, intelligat: ubi agnoverit, in eo persistet fideliter. Ut verò paucis vobis exponam id quod longo usu deprehendi de genere Orationis,

Ee 2

quæ

(a) Serm. 43.

quæ inter vos magis viget. quæq; est vestro spiritui cõformior; videtur mihi Dominus Deus Moniales Visitationis impellere ad Orationẽ unius & simplicissimæ præsentia Dei, ita ut se totas permittat sanctissimæ ipsius voluntati atque Providentiæ, quam proinde appello Orationem animæ proliis permittentis se Deo, in ipsoque acquiescentis, quæ quidem, ad vos quod attinet, tam salutaris est, ut asseverare possim illã comprehendere quicquid expectere potestis ad summam illam Majestatem pro Instituti vestri ratione glorificandam. Ut enim dixi sæpenumerò, nec dicere satis frequenter possum, *In simplicitate cordis* quærendus Deus est, de mysteriis Dei tractandum cum Deo ipso familiari quadam consuetudine cum illa bonitate, cui tamen familiaritati comitetur semper singularis quædam veneratio atque observantia.

Nec tamen quæ diximus prohibent, quò minus juniores, eæque quæ nondum longo & diuturno usu didicerunt, quemadmodum versari cum Deo debeant, utantur consideratione, quò mysteria fidei altè in mente infigant, quorum imagines sub initia rudiores in ipsis sunt. Planè id ipsis usurpandum, sic, ut se ipsæ exercent in meditanda vita JESU Christi, illiusque cruciatibus mente & cogitatione versandis, totum id ad imitationem referentes: sic enim discunt paulatim solæ cum solo tractare, non longã sermocinatione, sed nudo quodam obtutu rerum, quas in iisdem mysteriis ipse facit, motibusque & verbis interioribus, quæ amorem exprimant, compunctionem, resignationem, derelictionem sui, & similia, prout se ad ho-

rum

rum quælibet trahi sentient : quæ omnia peragen-
da sunt sine strepitu, sine contentione, sine vi, tan-
quam ea insinuata cupiant leniter, in sacrum cor
Sponsi, sic ut ab eo solo audiri ista velint. Quò ma-
jores progressus in Oratione facient, hòc simpli-
ciores actus istiusmodi erunt: agent videlicet cum
Domino Deo suaviter; segregabuntque se ab ima-
ginibus rerum quæ sensibus usurpantur, quò se
magis magisque ad Deum applicent, aptioresque
fiant ad motus spiritûs ipsius excipiendos.

Et quoniam nonnunquam evenit, ut quas ani-
mas Dominus Deus ad singulare quoddam Ora-
tionis donum comparat, eas interiori ariditate
prius, & quandoque valdè diuturna, exerceat; ca-
veant ipsæ interim, ne languidiores fiant in istius-
modi actibus usurpandis: ut enim tunc illi nullum
gustum spiritualem adjunctum habeant, non ta-
men suâ utilitate carent. Etenim pro certo habere
debent, Orationem illam tolerantia, exactaëque
conformationis ad divinum beneplacitum non
minùs supremæ illi Majestati acceptam esse, quàm
illam quæ jucundissimè ipso fruitur: etiamsi nihil
aliud tunc agerent, quàm quod famuli faciunt, qui
in dominorum suorum oculis sæpenuerò confi-
stunt immoti, aut quod filia ad parentum pedes,
sic tamen ut idem actus fiducia, amoris, fide-
litas adhibeant, potissimum autem vehementer
concupiscant ea quæ minùs perfecta in se agno-
scunt, & in quibus peccant aliquando, emendare;
præclarè tamen secum agi putent, haud magno-
perè intuentes, num è suo gustu sint actus illi in-
teriores, dum sint è gustu Dei. Quòd si in istâ fre-

quentandorum actuum, quos diximus, curâ im-
motâ perstabunt, virtutésque quas debent, exco-
lent interea, qui quidem fructus legitimæ Orationis
est; est planè cur sibi persuadeant, evectum se
iri ad aliud quiddam; etenim, quod jam dixi, Ora-
tio Monialium Visitationis ferè semper pervenit
ad simplicitatem illam, quietémque in oculis Dei:
ac tamen is quoque status gradus habet suos, alios
aliis sublimiores; tamen ad horum aliquem deni-
que ferè omnes pertingunt, sic tamen ut eò se per-
tingere ne ipsæ quidem advertant, donec perfecta
res est. In eo res ea maximè vertitur, ut fideles
sint, ductúmque impigrè sequantur S. Spiritûs tra-
hentis: occupare tamen non debent, sed cum san-
ctâ cordis humilitate felix illud momentum oppetiri,
quod à Domino Deo designatum est ad ipsas
tanto munere beandas. Confidite illi, filix carissimæ:
utque ad Deum tendatis, ad eumque perveniatis,
sinite vos ab eo regi, pro certo vobis persuadentes
optimum id demum esse, ac vestris rationibus
maximè conducibile, quod ab eo eligitur.

Verùm, postquam in suavem illam requiem ingressæ fueritis, & dum aliæ quibus id tantum boni
obtigit, ut ad mensam Dei admittantur, degustabunt
studiosè dapes varias quæ ipsis apponentur, sinet
vos in suo pectore acquiescere, vestros omnes affectus,
vota, totas vos ipsas æternæ eius providentiæ
permittendo; cavete profus tunc, quicquid in
contrarium obtendatur, ne ab illo Orationis genere
discedatis: ac sic habete, illam vestri Instituti
adeò propriam esse, ut quæ vestrum aliò ab hominibus
tanquam per vim trahentur, si-
bi

bi videantur è centro suo exire. Destituuntur quippe, dum id incidit, libertate spiritûs, & tanquam vinculis quibusdam molestissimis impeditæ, pace interiori carent; atque adeò earum in viâ Dei progressus miserè retardantur.

Ceterùm, ut est status ille valdè sublimis, ita à vobis singularem quandam perfectionem exigit, hoc est, postulat ut quàm exactissimè à Domini Dei voluntate pendeatis, illius decreta mandatâque intimè revereamini, munditiam cordis exquisitissimam colatis, ad ejusdem Domini beneplacitum omnibus in rebus sic respiciatis, ut nullâ cogitatione præteritorum, præsentium, futurorum, neque intuentes, neque intueri volentes quæ faciatis quæque imperabuntur, rerum omnium, si fieri quidem poterit, capiat oblivio; atque adeò vestri ipsarum, ut unius Dei memores, ad ejus bonitatem adhærescatis unicè omnibus in rebus, quæ in momenta evenient, idque simplicissimè. Amplectimini uno eodèmq; animo quæcunque Deus in vobis operari dignabitur: immolate vos ipsas, & permittite ipsius amor, nullâ rei cujusquam aut faciendæ aut tolerandæ exceptione: voluntates vestras cum ipsius voluntate in spiritu conjungere: animas vestras in eo beatè perditæ, (si fas ita loqui) quò in eo uno nanciscamini omnia: quæ est una & summa vestra felicitas. Felices vero illas quæ in sanctâ ista animi dispositione, inque frequentatione actuum talium perseverabunt fide immorâ, quæcunque demum difficultates, quicunque obices occurrent! etenim pacem in bello, quietem in labore, JESUM in Cruce reperient:

Ecce 4

dum;

dumque sese pro nihilo ducent, inuenient summum bonum, in quo Sanctorum omnium posita est felicitas.

Denique Oratio thesauros caeli reseat, de caeli opibus pro arbitrato statuit, exarmat Domini Dei iracundiam, & perruptis obuiis quibuscunque obicibus, ad solium usque eiusdem summi Dei pervenit. Feriendi licentiam querit à Moysse, qui Moyssem fecit, inquit S. Bernardus, (b) quasi virga Dei iure excandescens, a virga legislatoris illius pendeat: & ex mente S. Hieronymi, (c) Jonas in ceti ventre, tres pueri in fornace Babylonicâ, Daniel in medio leonum, per Orationem, cruciatuum loco, trophaea repererunt. Quin, plus quam petierit, impetrat à Deo Oratio: Anna dum poscit filium, Prophetam obtinet: dum magno opere cupit Zacharias mutus, lingua solvi vinculum, lingua illa non in verba qualiacunque, sed in Canticum solvitur, quod fundat Oracula: dum fieri se tanquam unum è mercenariis in domo patris sui optat ille ex Evangelio prodigus, anna cum blandimentis patris, amore suavissimo ad exquisitum convivium admittitur: dum unum hoc sibi satisfactorum predicat Iacob, si vivum ac spirantem Ioseph carissimum filium videat, videt dominantem in terra Aegypti, in aulica magnificentia, inque suprema auctoritatis fastigio: Deus enim, inquit S. Ioannes Chrysostomus, (d) liberalitate suâ nostras petitiones transcendit. Est haec igitur beata portio Monialium Visitationis: tanquam proprio charactere, sic Humilitate illarum Institutum distinguatur ab aliis, cuius Oratio nubes penetrat. (e) Atque illa ipsa virtus est, quae in filias Magni Episcopi Gebennensis tantam caelestium donorum copiam derivat, illudque imper-

(b) Serm. de Magdalena. (c) Dialogo adversus Luciferianos. (d) In Psal. 9. (e) Ecclesiast. 35.

MONIALIUM VISITATIONIS. 441
impertitur prerogativa, ut progressus ingentes in Oratione
faciant.

In idem argumentum, Gnomæ Salesianæ.

Felicem verò animam, quæ in Oratione, tra-
hentem Deum sequitur, quæque se à divino ejus-
dem spiritu duci regique sinit! Nimirum est hæc
demum vera suavitas, amore & familiari consue-
tudine Dei alere cor suum: quo bono si cor careat,
careat pariter vitâ; vita autem, si quæ superest,
summo suo bono.

Quò tranquillior simpliciorque Oratio est, &
scilicet in supremo mentis apice exercetur, eò est
fructuosior.

Germana mentis in Oratione quies, posita est
in Deo videndo, volendo, gustando.

Nullâ mentis contentione obtineri Oratio po-
test, sed fideli, & humili imprimis perseverantiâ.

Deus fervorem ab omnibus exigit, inquit S. Ber-
nardus, splendorem non ita. Tepida Oratio in
ascensu languescit, & deficit: fervens, cælum sine
dubio penetrabit, unde certum est quòd vacua
non redibit. (f)

(f) S. Ber. *Serm. de S. Io. Bapt. & serm. de Quadragesima.*

L A U S D E O.

✠ (* *) ✠

INDEX